DE TYPHO
PRIMO IN EVROPA APPARENTE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

QVAM

SVMMORVM IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORVM AVCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE VI. MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCLXI.

PVBLICE DEFENDET

RVDOLPHVS SCHRVFF

EIFLIENSIS.

ADVERSARIORVM MVNERE FVNGENTVR:

I. CANETTA, CAND. MED.
I. LATZ, DD. MED.
A. ORTH, DD. MED.

BONNAE
FORMIS FRIDERICI KRVEGERI.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

PROEMIUM.

Sentential maxime dissidentes varii autores de variis primo apparentibus morbis defenderunt. Quam diversis enim temporibus, ut exemplum adtraham, lues siphylitica primo apparens adscribitur? Alii putant illam iam antiquissimis temporibus pervagatam fuisse, alii eam ex America a Columbi comitibus traductam dicunt, aliique ad exitum saeculi decimi quinti adnectunt eam, quo tempore novus morbus apparuisse dicitur prope urbem Neapolin a Carolo VIII. obsessam. Eandem plerique alii morbi contagiosi habent rationem. Hocce enim morborum genus imprimis in illa controversia versatur, atque hosce morbos primo apparentes autores tam libenter vindicaverint historiae. Sed negari non potest causas omnium illorum morborum vel nostro tempore latere crassis occultatas et circumfusas tenebris. Incertissimae enim et divertissimae sunt sententiae de natura contagii universi, nedum dicam contagii singulorum morborum. Maxime nostro tempore illa probata est sententia, quae contagium significat materiam organicam,

discendentem in elementa atque proficientem ratione faecis. Procedamus igitur ab hac sententia. Exstiterunt elementa illius materiae inde ab initio mundi atque exspectaverunt res idoneas, ut compareretur contagium, quod perniciem ferret hominibus. Itaque in idem contagii primo procreandi tempus inciderent morbi contagiosi primo apparentes. Quae autem sint res idoneas ad contagium parandum, difficile dictu, an potius intorroges quibusnam rebus externis ad hanc rem non tributum sit momentum: cometae ortae, lapides aërei de coelo casi, venti adversi, anni tempora nimis placida aut acri tempestate ingressa culpabantur, neque minus bella, sterilitates annonae, fames multaque alia. Quodcunque demum sit, contagium effici tantum potest potestate et universi et terrae et rationibus dynamicis, quae inter hominem et terram eaque, quae terra gerit, intersunt. Variae vero haece in corpora humana potestates non solum nostro tempore exstant, sed certe iam antiquissimis temporibus prodierunt, ut imo historia docet res externas et ad societatem humanam et ad singulos homines rationes habuisse alternas, abientes revertentesque. Idcirco antiquissimis temporibus is rerum status exstiterit, qui contagio procreando faverit. Argumentatione igitur hac finita videatur omnes morbos contagiosos non tempore posteriori initium cepisse sed inde ab initio mundi societati humanae procreatae quasi dotem additos esse. Sin etiam in litteris a veteribus scriptoribus traditis multorum morborum contagiosorum mentionem non fit, nonne eam ob rem exstiterint? Quis

defendat morbum Brightii nostro demum saeculo exstitisse, quum novissimo tandem tempore a Brightio cognitus et descriptus est. In eadem ratione morbi contagiosi permulti versantur. Attamen e scriptis traditis ostendi potest multos morbos contagiosos vel antiquissimis temporibus pervagatos fuisse atque huic libello igitur propositum est typhum morbum inter homines saevientem usque ad Hippocratis tempora persequi.

defendat morbum Brightii nostro demum saeculo exstitisse, quum novissimo tandem tempore a Brightio cognitus et descriptus est. In eadem ratione morbi contagiosi permulti versantur. Attamen e scriptis traditis ostendi potest multos morbos contagiosos vel antiquissimis temporibus pervagatos fuisse atque huic libello igitur propositum est, typhum morbum inter homines saevientem neque ad Hippocratis tempore perceptum.

Fracastorius iique, qui eum secuti sunt, plurimi saeculi decimi sexti decimi septimi et octavi medici defendunt typhum in Europa primo apparuisse anno MDV, quo tempore novus, inauditus, medicis omnino ignotus morbus a Cypria insula in Italiam traductus ibique per decennia duo sequentia latius propagatus sit. In quam sententiam novissimo tempore Hirsch quoque dicedit in libro egregio incripto, „Handbuch der historisch-geographischen Pathologie."

Fracastorius [1]) de morbo supra dicto haec tradit: Corripiebantur vero ab hoc morbo minus mulieres, raro senes, rarissime Judaei, imprimis vero pueri et adolescentes praecipue nobili loco nati. Contagii vestigia longo tantum contactu apparuerunt. Pulsus initio morbi non magnum febris gradum ostendebat, ardor quoque cutis non erat vehemens, magis magna lassitudine et capitis gravitate aegroti in lectulo se continere coacti sunt. Post quartum aut septimum diem delirare inceperunt et eodem tempore in brachiis, pectore et dorso maculae rubrae ortae sunt; sitis non aderat, lingua materia alba obducta, deinde somnolentia aut agrypnia saepe apud eundem aegrotum vicisim apparentes. Ad signa critica deinde adnumerat sanguinis e naribus profusionem et dicit multos aegrotos plus tribus libris sanguinis per nares profundisse et mortuos esse. Mala omina vero erant collapsus virium subitus, vehemens alvi profluvium, haemorrhagiae magnae et peticulae evanescentes. Haec erant symptomata, quae hoc morbo primo apparente observata sunt:

1) Fracastori de morbis contagiosis lib. I. c. 2. p. 6 u. 7

atque omnes illius temporis autores maximi momenti putant peticulas efflorescentes, quae in illa epidemia tam copiosae eruptae videntur, ut morbo nomen febris petechialis datum est. Imo vero e scriptis, quae ex illo tempore restant, elucet omnes saeculi decimi sexti autores peticulas habere propriam typhi naturam, statum vero somnolentum et omnino systema nervorum affectum et debilitatum existimare parvi momenti et casu fortuitoque factum. Quare concedi non potest illos medicos veram typhi naturam intellexisse: non apparentibus enim peticulis typhum alio morbi generi adscribunt. Quod intelligi potest e scriptis Montani,[1]) qui consultationem refert ab ordine medicorum Patavino factum anno MDL, quo morbus gravis et periculosus in illa urbe saeviebat. Ipse eum febrim putridam nominat et haec describit signa.

Hic morbus initio saepe fallebat leni ingressu, dum perniciosissima interdum sequebantur signa, halitus sudorque foetidissimus, venter inflatus et tumidus, cutis ardentissima urina turbata, aquosa: aegroti deindi delirabant aut sopori incidebant, sequebantur crebrae alvi deiectiones, biliosae odore foetido, lingua arida, sitis ardentissima; interdum nares stillabant. Alia signa graviora adiunguntur a Montano somnus, anxietates animi, vomitus et pulsus debilis. Causa morbi maxime probabilis ab ordine illo medicorum accusantur aquae circa urbem stagnantes.

Eadem ratione febris hungarica anno MDLXVI primum in Hungaria inter milites exorta morbus habitus est a scriptoribus veteribus typho alienus et diversus. Attamen cuique nostrum perspicienti signa illius morbi, quae nobis a Burserio[1]) tradita sunt, ellucet febrim illam nihil aliud ac

1) Ozanam histoire medicale générale et particulière des maladie épidémique. Typhus 1550.

2) Burserii de Kanilfeld institutiones medicinae practicae I. S. 390.

typhum esse, in quo interdum vel peticulae apparuerint. Burserio ipsi obvenit morbus in Aemilia et speciatim in urbe Casena epidemice saeviens anno MDCCLXVII. Sequatur igitur descriptio illius morbi:

„Est autem febris acuta, maligna, epidemica. Continuo aegri quaeruntur vehementem capitis dolorem, aestum et sitim fere intolerabilem, magnam virium diiectionem, tensionem atque ardoris peculiaris ad scorbiculum cordis sensum adeo molestum, ut locus tactum vix ferre possit. Lingua iis est perpetuo sicca, punicea, interdum tumida aut fissa. Circa tertium aut quartum diem, rarius septimum accedit dilirium, rubor faciem universam occupans, occulorum fulgor et venarum capitis tumor. Non rare superveniunt narium haemorrhagiae, haemoptysis, perpetuae vigiliae, nausea, vomitus quandoque dysenteria, peticulae, parotides paralyses atque hemiplegiae. Alvus modo fluit, modo adstricta est. Pulsus validior magorque inter initia, quam in reliquis malignis morbis esse consuevit. . . . .

Itaque typhus ab auctoribus decimi sexti, decimi septimi octavique saeculi diversis febribus aenumeratus est pro signis maxime in singulis epidemiis perlucentibus, ut imo nostro tempore altera typhi epidemia insignis est copiosis peticulis, altera magnis haemorhagiis, quae aegrotos viribus debilitant; altera febri vehementi, altera minori febrili gradu eminet: in altera homines affecti magis pectore inflammata, in altera magis alvi deiectionibus laborant multaeque aliae sunt pestilentiarum differentiae. Typho igitur signis tam diversis ingrediente commoti autores saeculi praeteriti vel praeclarissimi morbos distinguunt et describunt qui omnes nostro tempore ad typhi genus referendi sunt. Respicimus enim scripta Burserii de Kanilfeld primum inveniemus descriptionem Synochi simplicis, quem illum mor-

bum habeam, qui nostro tempore typhus abortivus dicitur. Haec exponit signa morbi:

„Proprium [1]) est febris continentis naturam habere atque inter septem aut ad summum novem dies desinere. Saepe sanguis copiosius in caput, fauces, pectus aut in abdominis viscera irruens, congestiones quasdam quasi inflammatorias procreat; hinc manifestiora earum partium symptomata se prodeunt, uti turgidior rubicundiorque facies, insignor oculorum rubor, gravior capitis dolor, temporum pulsatio, vertigo, sopor interdumque mentis aberratio, in faucibus deglutiendi aliqua difficultas, in ore sitis atque ariditas linguae. Si pulmones et praecordia magis afficiantur mox urgent pectoris augustia, difficilior et crebrior respiratio, anxietas, cordis palpatio, virium animique deiectio. Similis congestio sanguinis in intestinorum tunicis molestissimam inflammationem facit, alvum adstrictam aut liquidam et foetidam, in mesentericis arteriis et venae portae rarius dolorem fixum circa primam lumborum vertebram, decubitum insuetum, iactationem, et si spinalis medulla petatur, torporem languoremque artuum.“

Deinde Burserius [2]) imaginem praebet Synochi putris, quem differre a Synocho simplici dicit longiore tantum morbi tempore et signis gravioribus vehementioribusque.

Tum [3]) describens Synocham malignam ad rem probandam duas a Stoerkio narratas aegras tradit, quae omnino ostendunt typhi naturam. Quisque vero intelligat febrem lentam nervosam malignam[4]) passim dictam typho in aequo ponendum esse, ut nonnulli imo hanc solam morbi imaginem ab eo descriptam typhum habeant.

1) Burser. lib. I. § 238—247.
2) Burser. I. 264 seq.
3) Burser. I. 249.
4) Burser. I. 270. seq.

Febrem gastricam acutam deinde Burserius[1]) nominat morbum, quem descriptum nemo perlegens dubitat, quin typhum abdominalem nostro tempore dictum, tractaverit. Signis enim prodromis ac deinde statu febrili, sopore deliriisque descriptis pergit:

„Dentes, lingua, fauces viscida et tenaci pellicula modo fusca et nigricanti, modo flava et lutea obteguntur. Quibusdam alvus compressa est; plerisque tamen liquescit et fluit, sed pauca liquida, vix levantia descendunt cum crebra deiiciendi necessitate. Deiectiones autem foetidissimam spirant odrem.“

Iam commemoravi febrem Hungaricam ab illo autore descriptam et ostendi eam ad typhum pertinere, neque minus eo referenda est febris maligna Germanorum,[2]) cuius symptomata haec sunt:

„Ligna et causae sunt eadem, quae in malignis imprimis gastricis iam adnotavimus, sed potissimum affinia illis, quae in Hungarica frequentiora esse narravimus. Quasi propria reputantur anginosae affectiones, aphthae faucibus infensae, artuum et dorsi dolor, agrypnia, delirium, nervorum tremores, animi et corporis deiectio, vertigines, spiritus difficultas, lipothymiae, nausea, vomitus, alvi fluxus et similia.“ Quum vero Burserius apud nonnullos homines, qui febri lenta nervosa affecti erant, ardorem cutis vehementissimam invenisset, eo adductus est, ut aliam morbi speciem seiungeret, cui Causi sive febris ardentis [3]) nomen dedit dicens:

„Quando vero tertianae cortinuae calor urens et sitis inextinguibilis accedunt, tunc causus sive febris ardens periodica speciatim est. In hac praeterea lingua sicca, aspera, nigra; urinae rubrae et flammeae; dolor capitis, agrypina,

1) Burser. I. 278 seq.

2) Burser. I 392 seq.

3) Burser. Causus I. 422 seq.

delirium, anxietas, respiratio difficilis, densa, magna, halitus oris adesse consueverunt, ut fere perpetuum est febrem alternis tantum diebus exacerbari." Peticularum [1]) genus typhum exanthematicum significare cuique perlegenti illa capita, quae huic morbo tribuit, elucet, quum ipse pestilentiam illam ab Hieronymo Fracastorio descriptam aequam morbi speciem dicat.

Omnes igitur illi morbi a Burserio tam diversis nominibus notati generatim signa ostendunt illius morbi, quem nostro tempore typhum dicimus. Quisque demum interroget quomodo evenerit, ut ille tam diligens et perspicax morbi observator communia illorum morborum non cognoverit. Mea de hac re sententia haec est, Burserium et omnes eius aequales in distinguendis et dividendis morbis secutos esse rationem inveteratam ab ea, cui nostro tempore indulgeant medici. Libuit ei, quod naturam et vim morborum putaret, morbos potissimum distinguere pro diverso febris gradu et successu. Quare typhum ita distraxit, ut eum cum febri continua ingredientem Synochum atque cum febri remittenti apparentem febrem lentam nervosam diceret. Ex signis maxime perlucentibus synochum deinde in simplicem, putrem et malignam divisit, ac pariter pro febre lenta nervosa substituit Causum ardore cutis valde aucto: gastricam acutam febrem alvi deiectionibus crebris profluentibus, peticulas peticulis copiosis efflorescentibus: febrem catarrhalem malignam Germanorum anginosis affectionibus aphthisque faucibus infensis exortis.

Medici vero, nostrae aetatis, magis locis affectis fundamentum morborum distinguendorum utuntur. Quod fundamentum ad cognossendem typhum primum adhibitum est a Franzisco Sauvagesio [2]) viro eruditissimo qui anno 1761 typhum

1) Burs. II. 315 seq.

2) Hildebrandt. Ueber den Typhus. Seite 8.

epidemice saevientem diligenter observasse videtur in Hispaniae finibus. Ipse typhum dicit morbum febrilem, qui duas aut tres hebdomates perseverat, primis diebus a Synocho paullum differens, deinde vero insignis magno virium collapsu, ardore cutis valde aucto, pulsu et urina fere naturalibus et malitia perniciosissima in insidiis collocata quae facillime stuporum sensuum, somnolentiam, deliria, exanthemata rubra, parotides, convulsiones multaque alia exorienda facit.

Ex his tam diversis typhi descriptionibus intelligi potest, quam perturbatae fuerunt usque ad extremum saeculum praeteritum sententiae de natura et vi typhi, neque mirum est, quum initio saeculi decimi sexti multae typhi pestilentiae omnesque copiosis peticulis insignes exortae sint, eas novum morbi genus descriptas esse, quia omnibus aegrotis propria erant exanthemata rubra cuti efflorescentia. Haec magis sunt probabilia, si diligentius tempus, quo typhus primo apparuisse dicitur, respicientes inveniemus illiam typhi originem incidere in illud tempus, quo medicina incepit repudiare fidem vanam temerariamque auctoritati miraculisque tributam atque confidere magis magisque rebus, quae aegrotis observandis repertae sunt. Aetas medicinae ferrea, ut Rasorius apte dicit, desierat et apparuerunt observateres fervido splendidoque ingenio instructi, qui morborum genera secernerunt et distinguerunt. Elucet igitur ab his tam perspicacissimis medicis morbos seiunctos esse, qui in illa aetate ferrea exstiterunt quidem, neque vero propria morbi genera dignoti, sed ad magnum illud pestilentiae genus relati sunt. Magis verisimile hoc videbitur si mentionem facio illi tempori, initio saeculi decimi sexti et extremo saeculo decimo quinto, a permultis non solum primam typhi sed etiam luis siphyliticae et febris sudatoriae anglicanae originem tributam esse.

Ex causis supra dictis improbabile et inverisimile

videatur typhum primo apparuisse initio saeculi decimi. sexti. Meum igitur est diligenter perscrutari scripta a veteribus tradita atque videre utrum descripti sint in iis morbi, qui signa ostendunt typho comunia et propria, necne. Ac primum attingam. quod Ludovicus de Toro[1]) narrat febrim peticularem anno 1490 per milites a Granada revertentes, in Hispaniam translatam esse bello, quod Ferdinandus Catholicus contra Mauros gessit, finito. Qua vero in disquisitione quum scripta temporis imperii Germanici tam sterilia rerum observatarum itemque regni Byzantini aetatis pauca praebere possint, statim progrediamur ad scripta Romanorum et Graecorum auctorum. Atque primum, ut notas colligamus servato temporis ordine, inveniemus scripta Caelii Aureliani et aequalis Claudii Galeni, qui vivebant anno 150 p. Ch. n.

Caelius Aurelianus in opere de morbis acutis inscripto febrim exponit, cui nomen Cardiaca dedit. Intelligimus eos, inquit, qui in cardiacam passionem [2]) declives atque proni videntur et eos. qui iam sunt in eadem constituti ex his signis, quae occurrunt:

„Sequitur enim in passionem pronos febris acuta atque celerrima et flammosa: pulsus celer, densus, humilis, aliquando etiam, ut inordinatus occurrit, sed non ita, ut deficiens intelligatur, sed celeritate coactus implicatis saltibus ordinibus careat et modo. Sequitur etiam fastidium, sitis immodica. somnus parcus et facilis in suscitatione, hallucinatio, hebetudo, jactatio. At vero si iam fuerit praesens sequitur aegros articulorum frigus, torpor aliquando etiam omnium crurum vel manum aut totius corporis: pulsus den-

1) Ozanam histoire medicale générale et particulière des maladies épidémique Typhus pag. 163.

2) Caelii Aurelianus de morbis acutis. lib II cap. 32.

sus, celer, parvus imbecillis, inanis et quasi fluens, attestante hallucinatione, animi desponsione cum vigiliis et quibusdam repentino atque coacervato per totum corpus sudorei. Respiratio parva atque anhela et insustentabilis et per morbi progressum rara loquutio ac tremula. Ora pallida, ocul. concavi, thoracis gravedo debilitatis causa, animi defectus imminentibus accessionibus.

Aliquando etiam lingua humecta, aliquibus vero arida atque sicca. Est etiam gravius cardiacum delirare."

In tractanda Aetiologia deinde dicit:

„Praepati in cardiacis Erasistratus et Asclepiades cor dixerunt: alii membranam, quae cor circumtegit: alii diaphragma, hoc est membranam, quae a visceribus discernit intestina: alii pulmonem atque iecur. Nos vero, cum ex Sorani iudicio totum videmus corpus in solutionem laxari, totum necessario pati accipimus: neque valde nobis de praepatienti loco certandum est, ne in occulta quaestione versemur."

Quam actissime autem ipse statum nervosum ita dictum, qui in fine multorum morborum apparet, ab ipso typho distinxit, ex his eius verbis elucet:

Haec occurrunt aliquando non praevexatis viribus, sed ratione passionis effecta: aliquando vero praevexatis ob nimiam sanguinis detractionem, vel ventris coacervatam effusionem, vel cuiusque materiae corporis immoderatam eliquationem, ut pigorantibus febribus dissolutio fit.

Eadem ratione Claudius Galenus [1]) pulcherrimam typhi morbi imaginem depinxit illo loco, quo affectus diaphragmatis tractat ac forsitan eo referrenda sint illa Caelii Aureliani verba „Praepati in cardiacis dixerunt alii diaphragma."

---

1) Claudii Galeni de locis affectis lib. V cap. 4.

Galenus passionem diaphragmaticam hocce modo describit:

Nam interdum vigilias praecedere sive etiam somnum manifestis imaginibus turbatum, ut et clament nonnulli et exiliant, videre est; interdum vero irrationalis accedit oblivio, ut laborantes aliqui, quum metellam petierint, mingere tamen negligant, aut quum lotium amittunt, metellam ipsam haudquaquam meminerint; interdum magori cum tumultu temeritate respondeant, aut praesertim ubi aliquis antea fuerit modestus. At et hi omnes exiguo utuntur potu; respiratio ipsis rara est et magna, pulsus minores magisque nervosos habent; nonnunquam occiput dolor infestat. Quum vero iam proxime ad phrenitidem accedunt, oculi iis vehementer sunt squallidi aut ex altero ipsorum acris lacryma effunditur ac deinde lippitudo et venae ipsorum sanguine plenae et sanguis stillat e naribus. Quo tempore neque iam plane ut mentis compotes respondent, floccos avellunt et festucas, carpunt, squallidioremque febrem habent, quae non magnas in alter utram partem facit mutationes, quemadmodum aliae quaedam vigores quidem gravissimos, declinationes vero habent mitiores. Quid dicam de lingua salebrosa, obauditione interdum contingente, tum quod interdum moesti iaceant vix respondentes; vel quum pars quaedam dolorificum patiatur affectum, etiamsi vehementius aliquis eam tangat, ipsi haudquaquam sentiant?

Non minus clare typhi naturam ostendens signorum collatio nobis ab Aretaeo Cappadoci tradita est, quem alii eodem tempore, quo duo autores superiores, alii priori aetate vixisse dicunt. Describit enim ille in libro de causis et signis morborum acutorum Causum sive febrim ardentem[1]) hocce modo:

1) Aretaeus Cappadox De causis et signis morborum accutorum, II 4.

„Fervor ubique acer atque tenuis in interioribus praesertim partibus: spiritus velut ex igne torridus: ingens aëris adductio eiusdemque frigidi desiderium: lingua itemque labiorum siccitas: extremae partes frigent: urina bile saturata: vigiliae: pulsus celer, exiguus, languidus, oculi lucentes, splendidi, subrubri: bonus faciei color. Quodsi malum increscat magora et peiora fiunt omnia: pulsus enim minimus et celerrimus, calor siccissimus et acerrimus; mens desipit: omnium rerum ignari sunt: siticulosi omnia frigida attrectare cupiunt parietem, vestem, pavimentum, humorem: manus frigent, sed earum palmae vehementer incalescunt: ungues lividi: respiratio frequens: roscidus quidam humor circa frontem et iugula. At si ad ultimam ariditatem et calorem pervenerit natura calor in frigus, siccitas in humiditatem convertitur, quoniam extrema rerum incrementa in contrarium statum solent transire.

Atque quum soluta fuerint naturae vincula, inquit animum constantem rursus effici: puros sensus omnes, ingenium subtile, mentem vatidicam ac deinde explicatione vaga et involuta interpretari conatur, quare homo morte appropinquante res futuras veras sciat ideoque morientes veracissimos vates habendos esse.

Quod consentaneum est ingenio illius saeculi; mihi vero hac descriptione status solus delirans, quo aegroti in extremo morbo affecti sint, exprimi videtur.

Sed omnes alios imperii Romani et Graeci scriptores praetermittamus et illius tantum scripta respiciamus, a quo plurimi autores sequentes repetierunt scientiam, Hippocratem dico, observatorem ingeniosissimum, perspicacissimum maxima fide imbutum, cui maxime confidere possumus, quum doctrina eius sola observatione et experientia effecta sit. Ille [1]) in describendo Causo sive febri ardente complures

1) Hippocrates, De morbis epidemicis I Causus.

illius morbi pestilentias ab eo ipso observatas narrat. Quibus diligenter perlustratis ille morbus nihil aliud ac typhus mihi videtur, quare descriptio duarum epidemiarum sequatur:

At vero continuae quidem omnino febres erant, nihilque intermittebant, omnium, quae tunc contingerent violentissimae, longissimae et laboriosissimae; per initia leves et in totum perpetuo increscentes diebus iudicatoriis insultus habebant et in deterius procedebant. In his omnibus rigores incomposite et errabunde contingebant. Neque penitus pervigiles erant, maxime vero hi etiam sopore gravabantur. Alvi omnibus quidem conturbatae erant maleque affectae, istis vero multo pessime. Urinae tenues erant crudaeque et decolores. Tusses puidem febres comitabantur, sed neque quam utilitatem aut noxiam tunc tussis attulerit, licet scribere. Maximum sane et pessimum signum plerosque omnes ad extremum usque prosecutum est, quod cibos omnes abversarentur. In his vero febribus non admodum importune siticulosi erant. Atque his aderant intestinorum tormina, crebrae et inanes egerendi cupidines, intestinorum laevores et alvi fluentes. Papulae parvae, quae non satis pro dignitate morborum excretioni respondebant, sed contra celeriter disparebant, aut aurium tumores oboriebantur, qui sensim et sine ulla significatione evanescebant. Nonnulli ad articulos praecipue coxendicen decumbebant.

In tractanda Prognosi huius morbi pergit deinde:

„Capitis et cervicis dolores et gravitates si febres comitentur aut sine iis accidant, phrenitide quidem laborantibus ad convulsiones desinunt, praesertim ubi aeruginosa vomitione refuderint, sed et eorum nonnulli celeriter intereunt. Qui febribus ardentibus aliisve conflictantur cum cervicis dolore et temporum gravitate, si tenebricosa caligo oculis observatur praecordiorumque contentio sine doloris sensu

affuerit, iis sanguis e naribus profunditur. Qui vero toto capite gravitatem sentiunt cum oris ventriculi morsu et stomachi fastidio, ii biliosa et pituitosa vomitione reiiciunt."

In describenda alia epidemia eadem fere signa narrat: propria vero illi pestilentiae haec adiungit:

„In febribus itaque plurimis menses apparuerunt, non nullis etiam sanguis ex naribus profluit, multisque virginibus id tum primum contigit. Est ubi etiam sanguis e naribus quibusdam et menstruae purgationes erumperent, quale quid in Diartharsis filia, virgine, tum primum apparuit cum larga sanguinis e naribus profusione. In quas vero praegnantes morbus forte incidit, hae omees, quod sciam, abortionibus periclitatae sunt."

Signa igitur, quae vel novissimo tempore plerumque in perniciosissimo typhi pestilentia observata sunt. Hanc autem epidemiam funestissimam et acerimam fuisse ex his elucet verbis:

„Sub hoc tempore autem sopore opprimebantur atque inter hos plures pueri. Quin etiam tunc plurimi perpetuo cum febribus delirio corripiebantur atque ex his plerique omnes moriebantur." Medium morbi spatium dies quatuordecim dicit, plurimi vero mortui sunt die sexto.

Neque vero omnes ab illo descriptas pestilentias proferam, sed fine unum licet mihi referre aegrum, decimum ab Hippocrate narratum; neque puto ullum esse, cui in hac descriptione non obveniat imago maxima cum fide expressa hominis typho laborantis. Haec eius sunt verba:

Clazomenius, [1]) qui ad Phrynichidae puteum decumbebat, igne i. e, vehementissima febre correptus per exordia ex capite, cervice et lumbis dolere coepit. Confestim

1) Hipp. De morb. epidemic, I Causus Aeger X.

surditas invasit, neque somni aderant, febris acuta prehendit, praecordium in tumorem sublatum fuit, neque valde contensum, lingua arida. Die quarto sub noctem deliravit. Quinto cum molestia exasperata sunt omnia, ad undecimum vero aliquantulum remiserunt, alvus ab initio ad decimum quartum usque multa, tenuia, aquae similia transmittebat. Quod addeiectiones attinet, commode habebat; deinde alvus supressa est. Urinae tamen per totum morbum tenues quidem boni tamen coloris erant et sublime quidam in medio innatans multum, nonnihil ellevatus est, meliusque sibi constabat.

Decimo septimo rursus tenues profluxerunt; secundum utramque aurem tumor cum dolore subortus est, somni non aderant, delirabat, crurum dolore vexabatur.

Vigesimo iudicatione a febre vindicatus est, non sudavit, omninoque ad intelligentiam rediit. Circa vigesimum septimum vehemens coxendicis dolor obortus est statimque sedatus. Quae autem ad aures erant tubercula neque suppurabant, verum dolebant. Ad trigesimum primum ex alvi profluvio, aquosa excrementa multa et cuiusmodi in difficultate intestinorum esse solent, prodierunt, crassas urinas redidit, tubercula circa aures conquieverunt. Circa quadragesimum vero oculi dextri dolor subortus est, hebetior fuit visus, constitit.

In alio Hippocratis libro inscripto de morbis internis,[1]) quod a plurimis interpretatoribus ad libros subditicios adnumeratur et iure Polybo, illius genero, adscribi videtur, quinque morbi varii, typhi nominati, traduntur. Itaque locum illum nomen morbi, de quo disceptamus, significantem, diligentius persecutari operae pretium mihi videtur.

---

1) Hipp. de morbis internis lib. I. §. 517. seq.

In primo typho dicit hunc morbum invadere aestatis tempore et eum, quem afficiat, statim febres vehementes corripere et gravem ardorem et cum gravitate imbecillitatem crurumque ac manum impotentiam, quae nullum ei usum praestent. Alia signa deinde accidentia profert ventris perturbationem et quae ex eo demittantur graviter olere vehementiaque tormina. Tum pergit:

„Et si quis eum tnterroget, prae dolore respondere non potest; ubi vero periturus est, tum acutius cernit, tum audacter loquitur." His verbis soporem deliriumque aegroti in extremo morbo exprimi mihi videtur; idcircoque diagnosin huius morbi faciam in typhum abdominalem, imprimis quum brevi post auctor dicat hunc morbum secundam aut tertiam hebdomatem percurrere solitum fuisse.

Aliam typhi speciem secundum, quam narrat, habeam extremum tuberculosis stadium. Oriri enim morbum auctor dicit potissimum ex corporis humiditate, quum cibos humidos et potum copiosum carnes exsorbuerint et flaccidae exstiterint, quae verba certe significarent affectionem corporis debilitatam et exsanguineam. Deinde signa adiungit febrem tertianam sive quartanam, vehementes capitis dolores, crebras ructationes, vultum exalbescentem, ut apuae colorem referat, tumorem ad pedes laxum, interdum vero etiam totum corpus intumidum, dolores ad pectus et dorsum excurrentes, ventrem perturbatum et sputum copiosum et spumosum, quod ad fauces adhaerescere videtur eique stridulam vocem facit, plerumque vero etiam fauces inflammantur. Hic cum sic habuerit sicque dolor presserit eique vehemens erectae cervicis spiratio contigerit interdum frequenterque derepente intra septem aut quatuordecim dies animam emittit.

Utraque igitur typhi species, quam Hippocrates aut potius Polybus narrat, typho simmillinus est morbus atque

alteram vel parem puto affectionem. Neque vero in eadem ratione tres descriptiones sequentes versantur, quibus exponit morbos, qui non minus inter se, quam typho ipsi sunt diversissimi.

Variae tempore procedente de his morbis sententiae sunt expromptae, itaque mihi sumam sententiam meam proferre.

Tertiam typhi speciem ita describit: Hic quidem hanc ob causam gignitur, cum bilis putrefacta cum sanguine per venas et articulos permixta fuerit, sanguis coierit, in articulis vero praecipue consistit, quandoque etiam in totum corpus decumbit doloresque acutos exhibet. Plerique enim ex huiusmodi morbo claudi evadunt, ubi bilis in articulis retenta in totum obduraverit, dolor vero intermittens per tres aut quatuor dies invadit.

Certe perturbata et maxime involuta morbi imago atque eam ob rem Hippocrati non tribuenda. Equidem interpreter eam spectasse artritidem: maxime enitens hoc loco, quem auctor in tractanda morbi theraphia adiungit:

Et si sanus evaserit a frigori et aestu sibi caveat neque cibis admodum repleatur: Periculum enim est, ne rursus morbus revertatur. Sic igitur curatus hic morbus sex mensibus sanatur. Qui etiam si confestim curetur, molestus tamen est et plerosque ad mortem usque comitatur. Facillime vero explicari potest quartus typhus de quo dicit:

„Oritur quidem hic morbus fructuum auctumnalium tempore, quum quis se iis omnis generis expleverit. Plerisque vero inde etiam eiusmodi morbus oritur ex inexplebili placentarum ex sesamo aliorumque ex melle dulciariorum esu. Mel enim coctum in ventriculo ardorem excitat eique affigitur, deinde ubi in ventriculo coctum fuerit, effervescit venterque derepente contingit, quum semel fluere coeperit

per multos dies purgatur multique ab hac purgatione sani evadunt."

Haec morbi descriptio habenda est catarrhus ventriculi intestinorumque, neque ut Hildebrandt [1]) putat. dysenteria. Hiuç enim sententiae vehementer repugnat, si auctor therapia, quae ad victum solum spectat, tractanda dicit: Hic hoc modo curatus citissime sanus evadet."

Maximas interpretandi difficultates typhus quintus praebet, atque a variis autoribus illa signorum descriptio diversissimis morbis tributa est. Hildebrandt hanc typhi speciem febrim hecticam existimat et huic sententiae maxime assentiam. Alii vero illam descriptionem interpretati sunt Chlorosin, quibus equidem maxime opponam verba, quae autor de prognosi facit.

Est vero descriptio abscura et confusa:

Gignitur quidem hic morbus cum corporis humidum putrefactum et plus aequo resiccatum fuerit. Quum igitur morbo detentus fuerit, habitu est perhumecto suppallido, pellucido et vesicae urinariae similis apparet, sed non intumescit, verum tenuis est, aridus ac debilis.

In corpore autem praecipue claviculae extenuantur et vultus vehementer gracilis est oculique admodum cavi et haec quidem ex morbo contingunt. Quodsi corporis calor niger exstiterit huius rei causa est. Cum in venas et cutem bilis atra subierit, cumque his calor supervenerit, venulas calore exuri et resiccari necesse est, ac proinde sanguinem per venas excedere. Sic igitur afficitur hic tenuis et vehementer gracilis evadit, oculis raro nictatur et muscas in stragulis sectatur, cibis magis gravatur quam sanus, lychni extincti odore gaudet frequenter in somnis seminis

1) Hildebrandt, Ueber den Typhus. pag. 3.

profluvium patitur et plerumque inter eundem ei genitura effunditur."

In tractanda prognosi haec adiungit: Hic morbus viginti annis magorem prehendit cumque prehenderit nisi per exordia curatio adhibita fuerit, non deserit quin viginti anni praeterierint, sed perseverat, deinde nonnullis dum curatio adhibetur, decedit. Gravis autem morbus est.

Omnes igitur hasce morborum descriptiones si respicinus cuique eluceat typhum plerisque medicis vel Hippocratis tempore in curandis morbis obvenisse, quamquam illi falsa naturae illius typhi cognitione adducti variis eum nominarent nominibus. Imo vero opponat aliquis typhum illo tempore singulos quidem et perpaucos corripuisse aegrotos neque tam frequenter et late, quam nostro tempore pervagatam fuisse, quod Hirsch [1]) de typho abdominali existimat, dicens dubitari non potest hunc morbum medicis, qui saeculo praeterito vixerunt, cognitum et apertum fuisse, at manifesta et non impugnata est sententia typhum abdominalem in Europae et Americae finibus secundo et tertio demum huius saeculi decennio pervagatum et longe lateque diffusam esse. Sed hanc quoque dubitationem repudiem.

Hippocrates enim in describendo Causo multas narrat huius morbi pestilentias et dicit multos aegrorum mortuos esse: cumulatus certe ut pervagatus morbi incessus. Tum maximi momenti mihi videtur quascunque varias de causa et natura contagii typhosi sententias allatas, omnes eo consentire in procreando typho magni habenda esse incommoda ad sanitatem vergentia, quae exoriantur ex vitiis vitae communis, ex paupertate, ex miseria omnibusque ea conse-

1) Hirsch. Handbuch der historisch-geographischen Pathologie. Bd 1 Typloid.

quentibus. Sin igitur comparamur hasce nostri temporis res cum praeteritorum temporum, inveniemus nos pro illis magna habere commoda. Nostro enim tempore saluberrimis consiliis maximae quidem egestati provisum est: collegium medicum incommoda, quae ad sanitatem spectant, maxima diligentia et cura tuetur, atque iis apparentibus, quam celerrime occurrit; neque vero haec praeteritis temporibus tribuenda sunt, certe minima tantum et male constituta. Deinde contemplamur res veterum atque etiam medii aevi bellicas ad quamnam interdum adiuverunt miseriam? Sexienti obsidebantur in urbe homines non sufficientibus alimentis et domiciliis, quod Thucydides narrat de Athenis obsessis secundo anno belli Peloponesiaci. Hac in urbe perniciosissima illa exorta est pestilentia, quae sexcentis ab eo correptis mortem tulit et qua horribilius usque ad id tempus nihil visum erat. Quam diversis sententiis hunc morbum permulti autores interpretati sunt, quod aliter fieri non potuit, quia descriptio illa non ex comparatione et observatione medici cuiusdam sed ex contemplatione hospitis in arte medicina processerat, qui signa sola in summo morbo maxime conspicua et perlucentia eaque vel falsa forte accepta tradit, tamen sequar partes Andreae Wawruchi longe inter medicos pervagatas, qui illum morbum typho perniciosissimo bellico adscribit. Attamen tempore recentiori et novissimo omnia illa belli mala fuganda non erant atque vel nostra memoria saepe typhus bellicus perniciosus exortus est. Certe autem in comparandis ad haec mala antiquis temporibus cum nostro tempore illa puto versatura in partibus posterioribus.

His argumentis ostendisse equidem puto typhum usque ad Hippocratis tempus omnibus aetatibus eadem ratione exstitisse, qua nostro tempore apparere solet exceptis non-

nullis differentiis minoribus, quae propriae sunt quibusdam epidemiis. Ex antiquiori vero tempore restant scripta medicina neque graeca neque latina itaque quaestioni num ante Hippocratis tempus typhus exstiterit, argumentis respondendum est ratione conclusis. Sed iam satis de his rebus exposui in prooemio huius libelli itaque extremo summam quaestionis meae proferam, typhum iam antiquissimis temporibus exstitisse atque quasi convictu hominum teneri.

VITA.

Natus sum ***Rudolph Schruff*** anno huius saec. XXXVII Hilleshemiae, in pago in Eiflia sito, patre medico ***Antonio***, matre ***Ludovica***, e gente Schmiz, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror.

Fide catholica educatus quum per quattuor annos gymnasium Monasterii ad Eifliam et per tres annos gymnasium Coloniense catholicum frequentassem, maturitatis testimonio munitus almam litterarum universitatem Rhenanam petii. Data dextra rectore magnifico ***Haelschner*** nomen professus sum apud decanum ordinis medicorum spectatissimum ***M. I. Weber*** et qer quattuor annos deinde studiis et philosophiae et medicinae operam dedi. Scholis interfui praeceptorum clarissimorum ***Albers, G. Bischof, Busch, van Calker, Caspary, Helmholtz, Kilian, Naumann, Noeggerath, Pflüger, Plücker, Schaaffhausen, Schultze, Treviranus, Troschel, O. Weber, M. I. Weber, Wutzer.***

Quibus omnibus viris optime de me meritis, gratias habeo quas maximas, neque unquam habere desinam

THESES.

1. *Glandulae Peyerianae sunt organa lymphatica.*
2. *In liene cellulae sanguinis rubrae non dilabuntur, sed oriuntur.*
3. *In arteriis ligandis non ligamentum latum, sed filum tenue itemque crassum adhibendum esse.*
4. *In muliere nondum per quatuor menses praegnante nullum certum signum graviditatis.*
5. *Siphylis iam antiquissimis temporibus, ut ex veterum scriptis apparet, pervagata erat.*